

mi Hagemanne, Tuque, *Illustrissime BOSSVETE*, rides dubio procul tam infusa commenta, quibus iniquissime falsissimeque mihi affinguntur, quæ in mentem mihi nunquam venerunt, nec venire potuerunt. En! enim claram literam, quâ contrarium assero, eloquor, confirmo: *Materia*, inquit, (cc) *terrestris non tantum vocatur in ipsa sacra Cœnâ panis & vinum, sed & tunc debet esse medium communicandi nobis materiam cœlestem; ideoque dicitur Κοινωνία NB. Corporis & Sanguinis CHRISTI, 1. Corintb. X, 16. Nec non altero (dd) loco: Hanc ob causam ipse CHRISTUS in verbis institutionis præceptum de manducatione ac bibitione præmisit, unionem materie terrestris & cœlestis subjunxit: Edite; Hoc est NB. Corpus meum: Bibite; Hoc est NB. Sanguis meus, Mattb. XXVI. v. 27. 28. Idem prorsus dixeram jam iterum iterumque: Substantia (ee) utriusque necessario debet remanere, cum panis ipse ipsumque vinum debeant esse media, quibus Corpus & Sanguis CHRISTI distribuantur & accipiantur, 1. Corintb. X, 16. Similiter: (ff) Et queso, quomodo panis & vinum, cum debeant esse media communicandi Corpus & Sanguinem CHRISTI, &c. Dubito, an scapha clarius possit scapha ficusque ficus dici, quam à materia cœlestis in S. Cœnâ Corpus & Sanguis CHRISTI vocatur. Ubiquitatem verò Θεανθρωπία tollo aut violo haud magis per assertam unionem sacramentalem materie cœlestis & terrestris in cœnâ, quam ipse CHRISTUS, qui non minus præsentiam nobis suam omnibus diebus*

(cc) *In Exam. Prof. Fid. Trident. cap. 16. pag. 419.*

(dd) *Ibid. pag. 424.*

(ee) *Ibid. pag. 416.*

(ff) *Ibid. pag. 418.*